



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ECCLESIASTICAE || DISCIPLINÆ || LIBRI SEX: || DE
CANONICA ET MO- || nastica Disciplina collapsa
restau- || randa, pristinoque nitori || restituenda. ||**

Schulting, Cornelius

Coloniae Agrippinae, 1599

VD16 ZV 14233

2. Historica narratio de Concilijs Reformationum ac Disciplinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63372)

458 DE DISCIPL. ECCLES.
cap. 9. lib. 5. quartum & vltimum Documentum
conseruandæ Reipubl. sic & Ecclesiæ est vt ciues
ab incunabulis ad Disciplinam Reipub. legumq;
obseruationem informent sic enim instructi sine
murmure & difficultate maiorum decretis ob-
temperabunt. Docet etiam Philosophus cap. 10.
Libr. 5. tyrannidem ideo breuissimo tempore du-
rare, quod ibi iniustitia regnet nec vlla obserue-
tur disciplina, legum & morum, regnum quoq;
ob legum violationem perimi. Plato etiam do-
cuit vt habet, c. 12. eiusdem libri fortunarum pro-
fessionem vnde Disciplinæ labes exoritur Eccle-
siam perimere, addit Aristoteles ibidem nimiam
indulgentiam ac morum licentiam, atque hæc de
capite 1. dicta sufficiant.

CAPVT II.

Historica narratio de Concilijs Reformatio- num ac Disciplina.

Anno Christi 254. Nouatianus satisfactiones
pro pennis peccatorum reiecit, hoc est ipsam
verissimam Disciplinam & fundamentum Disci-
plinæ teste Cypriano. lib. 4. epistola 2. Anno Chri-
sti 714. pro diuersitate locorum fides & Disciplina
deficit. Anno Christi 752. Defecit Disciplina
in Oriente, cum Stephanus 2. eius nominis Pon-
tifex Imperij Orientalis titulos ad Francorû re-
ges transfert. Primis seculis post Christum cum
maximè vigeret Disciplina sub persecutionib.
vt supra ex Cypriano, Tertulliano, & alijs PP.
veteribus intelleximus præcipuè celebrata fuere
Conci-

Concilia, vt incipiendo à Niceno de dogmatibus fidei inde vsque ad annum 700. licet etiam obiter & quasi per transfennam, de reformatione morū actum fuerit. Verū sequentibus seculis inde ab anno 700. cum disciplina cœpit languescere & flaccidescere frequentissima de Reformatione Morum Concilia habita fuere: Anno Christi 820. Aquisgranense 1. & 2. pro Canonicorum regula habitum, Platina, Sigisbertus, liber Conciliorum, VValefridus, Strabo de exordijs & incrementis rerum Ecclesiasticarum, c. 8. Aimonius lib. 5. c. 10. Anno Christi 823. Disciplina detrusionis in Monasterium vsitata fuit, cuius toties Canones & decreta mentionem faciunt. Etenim Ebbo Remorū Episcopus, & quidam alij tam Episcopi quā principes Ludouico Frācorum regi abrogant imperium ob vxoris suæ Iudith libidines & tyrānidem, quam in Monasterium recondunt, & ipse quoque Ludouicus in Monasterium D. Methardi abditur. Sigebertus Ctalij. Anno 828. oppressa fuit Ecclesia eiusque disciplina, cū electus Pontifex adire Pontificatum recusaret priusquam ab Imperatore confirmaretur. Anno Christi 847. Michael Imperator cū adoleuisset matrem suam omni potestate priuatam in Monasterium relegauit. Zonoras sequenti anno 848. Theoda Sueuica à filio Michaelis in Monasterium fuit detrusa, quod se prophetissam mentiretur, & diem extremum certo definiret. Egnatius lib 2. Anno Christi 848. Anastasius præbyter Cardinalis S. Marcelli, & Bibliothecarius Romanæ Ecclesiæ in Romano Concilio ab officio & sacerdotio deponitur, quod pa-

In Conc. Matifconensi, Canonones ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes con- dit. Baron. tom. 70. An- nal. fol. 590.

rochiam suam annis 5. contra canones deseruisset Platina. Luitprandus. Anno Christi 868. Trebellius rex Monasterium fuit ingressus Platina, Sigbertus Rhegino libro 2. Anno Christi 886. Virium Romani Imperij, diminutio ac labefactatio quæ post Lodouicum Pium contigit, & vicissitudo illa genuit Disciplinæ quoque defectum. Helmodus cap 7. Chronici Sclauorum. Anno Christi 898. infelix Ecclesiæ sæculum durauit ista captiuitas annis ferè 140. sub qua disciplina penè iacuit & emarcuit, incipiebat tunc integritas & virtus Pontificum deficere propter Arnulphum & sequentes Germaniæ Imperatores sibi Ecclesiæ iura rapientes, & libera Ecclesiæ suffragia in eligendis Pontificibus tollentes. Anno Christi 895. Concilium Triburiense Episcoporum 26. Germaniæ pro tuenda Episcopali auctoritate contra quosdam laicos Rhegino lib. 2. Chronicorum. Gratianus 2. quæst. 5. Anno Christi nongentesimo trigesimo septimo, Concilium Erphordienſe contra Imperatorem turbantem Disciplinam, qui monachos eiecerat ex claustris. Lambertus Schaffnaburgensis in historia Germaniæ. Obseruandum autem in prima conuersione gentium Disciplinam fuisse bonam, quæ postea corrumpi & labefactari solet. Anno Christi nongentesimo nonagesimo octauo. Ioanne decimosextimo sedente licebat, cuique malis artibus in sedem Petri irreperere propter iura Ecclesiæ ab Imperatoribus rapta. Captiua erat Ecclesia, gemebat sub Germanibus Imperatoribus ab Arnulpho ad Henricum 4. atque etiam ijs temporibus iacuit
Disci.

*Germanus
Episc. Parisiensis Anno
Christi 559.
æstuabat zelo Ecclesiæ.
Disc. tom. 7.
Annal. Baro
fol. 466.
In Africa ad
restituendâ
collapsâ Dis-
cipl. Eccl. plu-
ribus in locis
& diuersis
Concilijs &
Episcopi cõ-
uentus habi-
ti, Anno 523.
Baron. to. 7.
Annal. fol.
103. & 218.*

Disciplina. Circa tempora Christi, Anno 1002. Regino libros duos de Disciplina Ecclesiastica scripsit. Anno Christi millesimo nono, cum Pontifices essent intrusi ab Imperatoribus, corruptissima erat in Ecclesia disciplina. Anno millesimo trigesimo Conc. Triburniense iussu Conradi Imperatoris, in quo agitur de Eccl. Discipl. Platina, Siebertus, Damasus secundus, Bauarus Anno Christi millesimo quadragesimo octauo, per vim Pontificatum occupat nullo cleri populi que consensu, adeo inualuerat hic mos, ut cuique ambizioso & Principi gratioso liceret sedem inuadere Petri, atque sic etiam deferbuit Disciplina: paulo post a Leone nono, disciplina corrupta restituitur, & corriguntur quatuordecim abusus graecorum, inter quos Nicolaitarum, qui nuptias sacerdotibus concedebant, & Simonianorum errores erant. Anno Christi millesimo quadragesimo nono, & millesimo quinquagesimo, quatuor Concilia pro Reformatione & disciplina Ecclesiasticorum celebrata fuerunt, primum Concilium Romanum Episcoporum Italiae praeside Romano Pontifice de statu Ecclesiarum. Hermann. Contractus in Chronicis: alterum Papiense praeside Romano Pontifice de componendo statu Ecclesiarum. Hermann. Contractus in Chronicis. tertium Rhemense praeside Romano Pontifice cum Episcopis Galliarum de statu Ecclesiarum. Hermann. Contractus, Siebertus. Vltimum Moguntinum Episcoporum quadraginta duo, praeside Romano Pontifice & assidente Imperatore Henrico ac alijs Principibus, propter compo-

compo-

*Vigor Eccl.**Disc. in Gal.**lijs in 2. Cōc.**Turonensi,**10. 7. Annal.**Baron. folio*

533. 534.

componendum statum Ecclesiarum & reformationem clericorum, hoc simonia (quæ erat beneficia Ecclesiastica à laicis recipere) & sacerdotum coniugia in perpetuum damnantur. Herm. Contractus & Lambertus Schaffnaburg. Crantzius li. 4. c. 43. Anno Christi 1055. sub Victore 2. Concilium Florentinum præside Romano Pontifice, & præfente Henrico Imperatore de Statu Ecclesiastico. In eo multi Episcopi propter Simoniam & fornicationem damnantur & Episcopatu priuantur. Her. Cont. Palmerius, Platina Anno Christi 1058. Post infoelix sæculum annorum 140. restituntur omnia illustriora, clariora, meliora in religione, doctrina, disciplina, post densas priores tenebras. Anno Christi 1059. Concilium Mediolanense contra Simoniacam & Nicolaitarum hæresin præfidente Petro Damiano Anno Christi, 1073. Gregorius 7. Henricum 4. anathemate percutit, omni imperatoria administratione prius priuat nec absoluit, donec deposito regio ornatu, nudis pedibus, quamuis asperrima esset hyems ad se veniret petens & pollicens obedientiam, integram & emendationem Captiuitatem Ecclesie, & seruitutem ac oppressionem Disciplinæ in integrum restituit Martinus Polonus; hic semper in Ecclesiastico rigore constantissimus Otho Frisingensis lib. 6. c. 31. Inter omnes Romanos Pontifices præcipui zeli & auctoritatis, idem ibidem ca. 36. consentiunt Gotfridus Viterbiensis in Chronicis parte 17. Trithemius in Chronicis. Nauclerus generatione 37. Krantzius in Metropoli lib. 5. cap. 20. Sabellicus Emeade 9. lib. 3. Tyrius lib. 1. cap. 13. denique

nique Anselmus, Bernardus Corbiensis, Marianus
 Scotus, Martinus Polonus, Blondus Abbas Vrper-
 gensis, Anno Christi 1062. Concilium Mantuanū
 contra libidinosos clericos. Anno Christi 1071. In
 Concilio Moguntino præside Moguntino Archi-
 episcopo & Imperatore assidente, Carolus Con-
 stantiensis Episcopus, episcopatu deiectus est. Lā-
 bertus Schaffnaburgensis in historia Germaniæ.
 Anno Christi 1074. Concilium Romanum ad re-
 formationem morum, Antoninus tit. 16. ca. 1. §. 21.
 In eo præsertim agitur de Simoniacorum excom-
 municatione, Abbas Vrpergensis & prohibitio-
 ne vxorum facta præbyteris iuxta canones anti-
 quos ait Lambertus Schaffnaburgensis in historia
 Germanorum. Anno Christi 1074. Concilium Er-
 phordienfe præside, Moguntino Archiepiscopo,
 vbi de Cælibatu sacerdotum actum. Anno Chri-
 sti 1076. Concium Romanum Episcoporum 110, in
 quo notati sunt anathemate Gilbertus Rauennas
 Archiepiscopus, Hugo Cardinalis & (si Antoni-
 no credimus) Henricus Imperator omnes etiam
 simoniaci & maximè hi qui à laicis inuestituram
 receperant Imperatoribus. Krantzius lib. 5. histo.
 Saxo. cap. 6. Platina Anno Christi 1079. aliud Con-
 cilium Romanum tertio conuocat Gregorius Pa-
 pa, in quo excommunicat omnes Episcopos &
 clericos Henrico 4. adhærentes, in quem denuò a-
 nathema reuocat, & imperio iterum prinat. Ille
 metu amittendi imperij supplex veniam petijt à
 Gregorio, qui post præces multorum, & præstitū
 ab Imperatore iuramentum, obedientiæ & pacis
 eum absoluit. Platina. Fuit tunc quoad discipli-
 nam

*Ad corrigenda
 dam negligē-
 tiam Episco-
 porum in-
 dicta 2. Syno-
 dus Matisco-
 nensis. Baro-
 nius tom. 7.
 fol. 634.*

nam deploratissimus Ecclesiæ status & nostro simillimus, ut videre licet apud Siegebertum: sacerdotes erant moribus depravatissimis, magnæ similitudines inter Imperatorem & Pontificem, & ideo ipsi & res sacræ populo contemptibiles, decimæ igni cremabantur, multa scelera in Ecclesia patrabantur: hac occasione multi hæretici prophanis nouitatibus plebem ab Ecclesiastica disciplina auertebant. Anno Christi 1088. Concil. Beneuentanum, in quo præsentem Pontifice rursus Imperator & laici dantes sacerdotia, & clerici accipientes, simoniaci declarantur & excommunicantur. Chronicon Cassinense, li. 3. c. 71. Hoc tempore Deus dedit Cardinalis canonum disciplinæ volumen, iubente Victore 3. Pont. in ordinem rededit. Platina Anno Christi 1095. Conc. Placent. Episcoporum totius Italiæ, præside Pontifice ad sacerdotum malos mores corrigendos: Romani, in quo inuestituræ Episcoporum laicis adimuntur. Claremontense in in Aruernia, præside Pontifice Episcoporum & Abbatum 310. ad eum ut vocetur generale. In eo agitur de Ecclesiæ reformatione, aliud adhuc Romanum præsentem Anselmo Cantuariensi contra principum laicorum inuestituras. Edner in vita Anselmi, Anno Christi 1118. Henrici 4. Simoniaci multa malæ disciplinæ vitia describuntur. Anno Christi 1102. passim colligebantur Concilia, & quicumque à laica manu Episcopatum, aut aliam iuris Ecclesiastici inuestituram accipiebant, excommunicantur Siegebertus: tumque conuentio inter Paschalem & Henric. 5. qua priuilegium de inuestitura Episcoporum & Abbatum

*Canones ad
disc. Eccl. spe
tantes in
Conc. Braca-
rensi 2. 10. 7.
Ann. f. 542.*

Impe-

Imperatori concedebatur, simoniaca plurimis Concilijs œcumenicis & prouincialibus declarata est. Vrspergensis. Circa idem tempus Iuo Carnotensis Episcopus Pannomiam. i. decreta Pontificum & Patrum, siue corpus Discipl. Eccl. exemplo Isidori & Burchardi in vnum volumen redegit, quo I. C. vsq; ad Gratiani tēpora vsi sunt. Siegebertus & Trithemius de scriptoribus Eccl. Anno Christi 1116. Anselmus Cātuariensis Archiepiscopus Disciplinæ & Libertati Ecclesiasticæ patrocinans, & acerrimè resistens Henrico Anglorū regi, qui tale ius iam sibi vsurpabat, recusabat eos consecrare, quos ipse rex elegisset veluti abortiuos religionis filios, & tandem obtinuit, vt audito iudicio Paschalis Pontificis Romani abstineret ab huiusmodi electione. Henricus autem rex iniquè de Anselmi seuera disciplina causabatur, quæ tamen & Lateranensis Concilij, & Apostolicorum Canonum, & Antiochenæ synhodi, & decretis diuersorum Romanorum Pontif. consentanea disciplina fuit, quæ simonia circa ista tempora vbiq; locorum inuasit Ecclesiã ac inualuit. D. Bernar. Anno Christi 1119. Templarijs disciplinam & vitæ normam præscripsit. Tyrius li. 12. ca. 7. AEmilius libro quinto. Anno Christi 1125. Calixtus 2. excommunicationis fulmine in Remensi Concilio Henricum 5. adegit, vt omne ius instituendi Episcopos Ecclesię restitueret. Platina. sub eo tandem pax inter Ecclesiam & imperium facta aunos plus minus 50. ex quo inter Gregorium septimum, & Henricum 4. discordia ingens ob sacerdotiorū collationē emerferat, in ea Episcoporum

*Polydorus
li. 11. Angl.*

porum & Abbatum electiones, quas Imperatores & reges vsurpauerant, clero & monachis restituta sunt. Abbas Vrspergensis in vita Henrici 5. Tyrius de bello sacro lib. 1. cap. 13. Otho Frisingensis lib. 7. cap. 16. Pandolphus Pisanus in vita huius Calixti. Sub Honorio 2. Anno Christi 1125. Ludouicus Crassus in ordinem Ecclesiasticum sceuiens bona eius sibi vsurpans, se inconsulto Episcopos & Abbates eligi nolens à Stephano Episcopo Parisiensis excommunicatus est, vnde etiam si absolutionem ab Honorio obtinuisset quam D. Bernardus improbavit binis ad ipsum Honorium literis grauius admodum & acerbis, non diu superuixit, & Philippum filium regio ornatum diademate Parisijs equo deturbatum subita morte amisit. Anno Christi 1119. In Remensi Concilio proscripti sunt ab Ecclesia Simoniaci & pro sepultura, chrismate & baptismo precium exigentes. Anno 1120. Neapolitanum Concilium in Samaria Reformatorium ad corrigendos mores in omnibus penè valde deprauatos præside Guaremundo Hierosolomitano patriarcha, & præsentè Balduino Hierosolomitano rege, cum multis Orientalibus Episcopis. Guilielmus Tyrius lib. 12. de bello sacro, cap. 13. Anno 1123. Tholosanum concilium præside Calixto contra quosdam hæreticos monachos in bona Ecclesiæ & sacramentum Eucharistiæ blasphemos. Fasciculus Temporum. Anno 1130. Londinense Concilium præside Legato Romani Pontificis ad deprauatos mores sacerdotum corrigendos. Polydorus lib. 11. historiæ Anglicanæ. Anno 1137. in Antiocheno Concilio, Radolphus patriarcha Antio-

Antiochenns depositus est, & in monasterium re-
 clusus. Tyrius lib. 15. c. 17. Anno Christi 1144. Ludo-
 uicus rex, quod expugnato vitriaco in Ecclesiam
 1300. diuersi sexus & ætatis homines cremati esset.
 terram sanctam pœnitentiæ causa adiit, vbi in-
 tegrum annum substitit. Siegebertus continua-
 tor. Anno Christi 1145. Lucij 2. Pontificis consensu
 factum concilium in Gallia contra Abellardum,
 qui rationibus victus, non modò sententiam mu-
 tauit, sed & monasticam vitam professus est. Sum-
 ma Conciliorum. Anno Christi 1159. Adrianus
 Pontifex Anglus Guilielmū Sicilia regum ob ra-
 pta Ecclesię bona excommunicat, subditos omni
 sacramento liberat. Platina. Anno Christi 1178.
 Ad pedes Alexandri 3. Pontificis procubuit Frede-
 ricus Imperator petens absolutionem excommu-
 nicationis. Anno 1171. Concilium Hybernæ cele-
 bre plurimorum Episcoporum coactū ab Henri-
 co Angliæ rege ad corrigenda vitia in Hybernia
 (quam singuli pro opibus plurimas habebant vxo-
 res) Poldorus li. 13. Anglicanæ historiæ. Anno 1180
 Vndecimum generale & secundum Concilium
 Lateranense, præside Alexandro Romano Ponti-
 fice Episcoporum 280. cum Orientalium, tum
 Occidentalium continens 50. capita de reformã-
 dis moribus, tam laicorum quam Ecclesiastico-
 rum. Antoninus lib. 17. cap. 1. Anno Christi 1180.
 Henrico 2. Regi Angliæ ob cædem Thomæ Can-
 tuariensis, poenitentia ab Alexandro Pontifice
 fuit iniuncta. Polydorus lib. 16. historiæ Anglica-
 næ. Anno Christi 1185. Concilium Veronense præ-
 side Lucio. Papa contra Romanorum superbiam.

Gg

Plati-

Platina. Anno Christi 1198. Celestinus 3. pontifex
 toti Franciæ sacris iuterdixit ob diuortium Phi-
 lippi regis, qui Ingebergam seu Gelbergam ux-
 orem repudiauerat. Guilielmus Nangiacus, Anno
 Christi 1200. de disciplina pœnitentiæ scripsit
 Bandinus libr. 4. sententiarum, cap. 13. & seqq. &
 Hugo libr. de conscientijs. Theodorus Balsamon
 in cauones Apostolorum & synhodorum. Anno
 1215. In duodecimo concilio Lateranensi omnium
 numerosissimo & latissimo actum est de multis
 capitibus ad mores & statum Ecclesiasticum per-
 tinentibus, tomo 3. Conciliorum. Anno Christi
 1199. Concilium Diuionense plurimorum Epil-
 cyporum Galliæ, præside legato Apostolico, qui
 secundò ex sententia concilij Philippo regi &
 toti regno sacris interdixit, propter regis diuor-
 tium & secundum matrimonium cum Agnetæ
 Ducis Morauia filia. Gaguinus lib. 6. Amilius lib.
 6. Anno Christi 1216. Ioannes Rex Angliæ vir im-
 pius post sacras ædes à se spoliatas, & sacerdotes
 regno pulsos, & redditibus Ecclesiæ per sex an-
 nos retentis in pœna religionis contemptæ ex-
 communicatus ab Honorio tertio Romano Pon-
 tifice non antea absoluitur, quam capiti diadema
 ademptum Pandulpho legato Apostolico trade-
 ret, nunquam id ipse accepturus aut hæredes, nisi
 ū Pontifice Romano Angliam & Hyberniam red-
 didisset feudatorias, Rmoan. Ecclesiæ promit-
 tens pro Anglia 700. marcas auri, & pro Hy-
 berna 300. Polydorus lib. 15. hist. Anglicanæ. Am-
 milius lib. 6. Blondus libr. 6. Guilielmus Nangia-
 cus. Anno 1225. concilium Germanicum, præside

con-

Conrado Legato Apostolico contra simoniacos & concubinarios clericos. tom. 3. conciliorum, & Oxoniense præside Archiepiscopo Stephano de officio & statu Ecclesiasticorum. tomo 3. conciliorum. Anno Christi 1237. Londinense, præside Othone cardinale legato Apostolico, in quo post longam consultationem multæ leges latæ sunt, quæ deinceps legem sacerdotalem conseruauerunt: Polydorus Virgilius lib. 16. hist. Anglica-næ.

Anno 1238. Theologi Parisienses post longam disputationem definiunt neminem posse duo beneficia, vnum sufficeret ad eum alendum obtinere sine peccato mortali, Chronica Francorum & Iacobus Meierus in Historia Flandriæ. Anno Christi 1254. Innocentius 4. Frederico 2. Imperatori co-actò Lugduni concilio, diris deuoto Imperium abrogauit. Cromerus lib. 8. de reb. Polo. Hinc à Frederico ad Rodolphum per 28. annos infoelix tempus, per quod non floruit Disciplina. Anno 1261. D. Ludouicus Rex Francorum nolebat se immiscere sacerdotiorum collationibus dicens: sat mihi est coram Deo de temporalibus mihi creditis, non etiam spiritualibus rationem reddere. In libello Virga directionis. Anno Christi 1271. Clemens 4. optimus Pontifex clerico nepoti tres habenti præbendas, duas abstulit se dicens, Deo non carni & sanguini velle acquiescere. Anno 1292. Aschassenburgense prouinciale præside Gerardo Archiepiscopo Moguntino cum septem suis suffraganeis, Abbat. & præsbpt. vbi multa vtilia de disciplina & negotijs Ecclesiasticis statuuntur.

Gg 2

Tri-

Trithemius in Chronico Monast. Anno Christi 1287. Fratricelli hæretici Ecclesiæ potestatem iam diu ob corruptos mores Ecclesiasticorum extinctam fuisse iactabant. Platina, Bernardus Lutzenburgus, Mater historiarum, Supplementum Chronicorum, Extrauagante sancta Romana de religiosis domibus. Anno Christi 1301. scripsit Bonauentura dietas de poenitentia & Cæbasilas c. 29. Anno Christi 1315. Clemens 5. Templariorum ordinem multis de causis destruxit, eorum bonis Rhodijs militibus concessis, libr. 5. historia continuata de bello sacro. Philippus Pulcher templarios tota passim Gallia vnoque momento deleuit. Quod cum in Germania auditum esset, illis, vt postulabant, Moguntia Anno 1311. auctis, nomen tantum & leges seu canones disciplina mutantur, personis & redditibus distributis in alias sacrorum ordinum familias. Per reliquum orbem Christianum, ob nefanda quædam scelera & opiniones de religione prauas, quibus dato à Pontifice signo, è Concilio Viennensi totus eorum ordo deletus est. Anno Christi 1311. Concilio Viennense præside Clemente quinto presentibus tribus regibus Francorum & cæ. contra Templarios, & mores corruptos clericorum biennio celebratur. Platina, Palmerius tom. 3. Conciliorum. Anno Christi 1327. Concilium Moguntinū Prouinciale, præside Matthia Archiepiscopo Moguntino &c. in eo multæ constitutiones ad Ecclesiæ vtilitatem & reformationem sunt editæ. Trithemius in Chronico Monast. Hirsauus & Continuatio Nangiaci. An. Christi 1335. Benedi-

ctus vndecimus reformauit Ordines Benedicti-
 norum & Cistertiensium. Anno Christi 1341. con-
 cilium Anglicanum, in quo multi suo officio ab-
 utentes, turpiter deponuntur. Polydorus, Virgi-
 lius lib. 19. Anno Christi 1352. Innocentius 6. præ-
 bendas Ecclesiasticas non nisi probatissimis de-
 dit, fecitque vt omnes Pastores ad suas Ecclesias
 proficiscerentur. Baiazetes Turcarum Imperator
 anno Christi 1399. se Dei iram vocabat, quæ de-
 prauati seculi mores & mortales vlcisceretur.
 Iouius lib. 2. virorum illustrium, Schismata Ec-
 clesiæ impediuerunt disciplinam, Ecclesiæ disci-
 plinam & statum fuisse circa annum 1417. corru-
 ptissimum testatur liber tunc editus à Nicolao
 Clemange D. Parisiensi, de corrupto Ecclesiæ sta-
 tu. Anno 1417. Martinus quintus Romanus vir op-
 timus & doctissimus decreuit, vt singulis decen-
 nijs celebraretur concilium vniuersale de fide ac
 disciplina & morum correctione. Platina. Anno
 1414. Decimum sextum vniuersale concilium
 Constantiense numerosissimum, contra vitia tam
 laicorum quam clericorum. Platina, Nauclerus.
 Anno Christi 1431. Decimumseptimum grnerale
 concilium Basiliense, ad reformandos mores tam
 laicorum quam clericorum. Anno Christi 1371
 Pauli 2. tempore aded erat corrupta disciplina,
 vt omnia sacerdotia ipsius tempore essent vena-
 lia Romæ, officia item & beneficia Episcopatus,
 his committebant, qui officium aliquod habe-
 rent venale, vnde elici munus posset. Summa Cõ-
 ciliarum. Circa idem tempus Gallicanum Aure-
 lianense iussu Ludouici vndecimi, coactum ad

tollendas annatas beneficiorum. Gag. libr. 10. Anno Christi 1474. Isabella & Ferdinandus quintus, reges verò Catholici in annos 30. regnare incipiunt: hi expugnato regno Granatensi, Sarracenos Hispania exterminarunt, Iudæum vel Christum agnoscere vel regnis suis exulare coegerunt. Inquisitionis officium instituerunt Vasaus in Chronicis Hispanicis, igitur & Directorium Inquisitorum huc ad Disciplinam erit referendum. Inquisitionis etiam fuit institutum contra Mauros & hæreticos, cui rex ipse etiã se subiecit. Anno 1492. Vasaus. Anno Christi 1513. Georgius Amboesius Cardinalis & Legatus Franciæ instituitur, qui vnico Rhotomagensi sacerdotio absque vllis Abbatijs &c. contentus, è viuis multò post decessit. Vir antiqua fide & virtute nondum conscientijs ad sacerdotiorum polygamiã prostitutis. Decimumnonum concilium Oecumenicum Lateranense indictum à Iulio Papa pro reformatione Ecclesiæ, sed ipsius morte est interruptum, & postea continuatum & absolutum à Leone 10. P. P. anno 1517. Cal Aprilis. Sleidanus libr. 1. & Surius. Anno Christi 1527. concilium Senonense provinciale ad reformationem morum & contra hæreses: durat per annum tomo 4. Conciliorum. circa idem tempus concilium Ratisbonense ad Reformandum clerum Germaniæ. Anno 1536. concil. Colon. sub Germano Arch. episcopo ad reformationem cleri. tomo 4. Conciliorum. Defectio à religione & disciplina inducit defectione à magistratu, visum id in Germania in tot calamitatibus, seditionibus, motibus plebeiorum
contra

De Oeconomia Eccl. late leges à Iustiano.

contra nobiles. subditorum contra principes. An *Baron. to. 7.*
 no Christi 1545. Concilium 20 generale Tridentinum etiam contra corruptos mores clericorum & laicorum. Anno Christi 1548. Treuerense provinciale reformatorium, præside Ioanne Archiepiscopo Treuerensi tom. 4. Concilio. eodem Anno Augustanum Diocæsanum ad reformationem cæri, præside Othone Cardinale Augustano Episcopo. tomo 4. Conciliorum. Anno Christi 1549. tria reformatoria Concilia, Treuerense, Moguntinum, Colonienfe. tomo 4. Conciliorum. Anno 1560. Pius 4. hpstis Simoniacorum & plura habentium beneficia, ofor dispensationum. Anno Christi 1566. Pius 5. insignis Disciplinæ Ecclesiasticæ restaurator, concubinatum carceribus aut exilio multauit, nec voluit suos consanguineos bonis Ecclesiæ ditare, multos abusus sustulit, seueras leges contra simoniacos tulit: statnit resignationes simplices beneficiorum non admittere, nisi habita prius diligenti examiuatione, num qui designantur essent idonei. Cùm autem aliquis ad ipsum retulisset, id esse Curiam destruere, minus malum est, ait, Curiam destruere, quam cultum Dei negligere, & Christianam Rempubl. turpâter prodere. Anno 1569. renouat Pius 5. Bullam Pij 4. contra fiduciarios simoniacos eos esse pronunciat, sedi Apostolicæ absolutionem reseruat, cæteris adimit, ac tam eum qui custodit, quam qui custoditur, restitutioni alligat, vt sic pro sacerdotio 100. aureorum ducenti restituantur. Anno Christi 1566. Mediolanen-

lanense & alia passim prouincialia pro executione Concilij Tridentini.

CAPVT III.

De Disciplina Monastica praclarè instituta
S. Seuerino.

*Fugipius in
eius vita te-
ste Barocio
tom. 6. Ann.
fol. 300.*

HAEC de promitur & petitur ex Mouaclo-
regulis, quarum ferè est antiquissima Basili-
Magni, ex qua alia regulæ & normæ vivendi de-
riuatæ sunt. Supra ca. 10. lib. 1. cum ex P. P. & D. D.
Ecclesiæ de Disciplina egi, quæcunque Basilius
habet de hoc argumento sedulo excerpti, Porro
Disciplina Monastica variat pro varietate regu-
larum & ordinû. De singulis igitur ordinibus &
regulis distinctè ex ordine erit breuiter dicendû.
Qui potestatem habent legendi libros hæreti-
cos, videant Rodolphum Hospinianum Tiguri-
num lib. 3. de Origine Monasticæ in regula Basili-
fol. 43. 44. 45. prolixè in Responcionibus & Inter-
rogationibus, & lib. 3. fol. 76. de Disciplina corri-
gendi delicta in monasterijs ex Cassiano folio 92.
ratio viuendi in monasterijs fol. 93. & 108. ididem
lib. 4. de Origine Monasticæ in Regula Benedicti,
folio 122. 123. 126. 128. 131. lib. 5. fol. 182. 191. 194. 213.
218. 223. 231. 232. 233. 260. allegat Nicolaum Cle-
mangem in libro de corrupto Ecclesiæ statu, fol.
261. 268. 269. 271. 273. 281. 283. 284. lib. 1. cap. 5. de Ef-
fæis cap. 6. de Nazaræis cap. 7. de Rechabitis lib. 6.
fol. 19. de Antonio. In 2. part. Statutorum Ordini-
nis Carthusiensis capite vigesimo secundo de
Disciplina in generale capituli, capite 23. de
Vista.